

QUÆSTIONES ANNO 1893

COLLATIONIBUS THEOLOGICIS DISCUTIENDÆ IN ARCHIDIECESI QUEBECENSI (a)

MENSE JANUARIO.

(*Legatur post lectionem præcedentis collationis articulus Conférences ecclésiastiques in Disciplina, pag. 33...*)

Sempronius suorum peccatorum generalem confessionem instituens ait se timere ne pluries jurisjurandi religionem violaverit. Nam coram iudice vocatus juramento affirmavit centum aureos fuisse a Caio suo amico solutos cuidam creditori, quamvis ipse solummodo ex assertione ipsius Caii hoc noverit : cujus tamen fidem ita se firmam habere dicit ut de ea suspicari ne quidem possit.—Alia autem vice quum fuisset constitutus ad munus publicum fungendum, ipsi oblata est formula juramenti hoc in casu usitata, et juravit pure et simpliciter, ut mos est, se omnia observaturum esse quæ in hac formula continebantur. At ea tantum quæ majoris momenti erant servavit, reliqua vero leviora prætermisit.—Tandem postea quum iterum in iisdem circumstantiis versaretur, timens ne reus perjurii fieret, licet verba formulæ exterius protulerit, intra se tamen constituit juramento firmare ea solum quæ substantiam formulæ promissoriæ respiciebant, et exinde reliqua tuta conscientia non observavit. Hæc audiens confessarius secum quærit :

- 1° *In quo præcise reponenda sit veritas in juramento tum assertorio, tum promissorio ?*
- 2° *An in juramento detur materiæ parvitas ?*
- 3° *An et quæ peccata et cujus speciei commisit Sempronius ?*

(a) C'est une obligation d'assister aux conférences, quand on n'en est pas exempté par une raison suffisante. Il faut s'y préparer avec soin. Les absents doivent envoyer au Président les raisons de leur absence. Le Président est le Curé le plus ancien par l'ordination. Le Secrétaire est choisi par les membres de la conférence.

Titius parochus quærit *utrum permitti possit ut organa pulsentur* 1^o *in dominicis et feriis Adventus et Quadragesimæ?* 2^o *quando sacerdos verba consecrationis profert vel præfationem cantat?*

MENSE MAIO.

Scriptores impii audacter existentiam et æternitatem pœnarum inferni negarunt, asserentes doctrinam catholicam hac de re rationi, imo et revelationi repugnare. Caius parochus constituit hunc pessimum errorem confutare et quærit a theologo :

1^o *Quenam sit doctrina orthodoxa de pœnarum inferni existentia, gravitate et diversitate;*

2^o *Quibusnam argumentis theologicis demonstrari possit pœnas damnatorum fore æternas et semper sine ullo fine duraturas;*

3^o *Quomodo ostendi possit dogma catholicum de æternitate pœnarum rectæ rationi non adversari;*

4^o *Quid dicendum sit de æterna sorte infantium qui sine baptismo moriuntur.*

Quæritur: *An versio latina Scripturarum quæ Vulgata nuncupatur, quamque quotidie legimus, omnes libros Novi Testamenti integros atque incorruptos contineat?*

MENSE JULIO.

Margarita partui difficili proxima in imminente mortis periculo versatur et medici de salute tum matris tum prolis desperant. Interim venit chirurgus peritissimus qui promittit se latus puerpere sectarum esse fœtumque sine periculo extracturum. Margarita, impellente confessario, ad sectionem lateris, licet invita, consentit. Sed peracta operatione cæsarea, extracta et baptizata prole obiit mater quam et infans paulo post sequitur. Quæritur :

1^o *An et quandonam fieri possit operatio cæsarea in matre vivente vel defuncta?*

2^o *An mulieres teneantur ad sectionem admittendam vel saltem possint eam admittere?*

3^o *An confessarius debuerit non solum admonere de obligatione si quæ fuerit sed etiam ad illam Margaritam exhortari potuerit, et an irregularitatem incurrerit?*

Quæritur :

1^o *An et qualis sit differentia inter Patres et Doctores Ecclesiæ?*

2^o *Quinam fuerint præcipui Patres Ecclesiæ Græcæ et Ecclesiæ Latinæ?*

3^o *Quænam sit auctoritas doctrinalis Patrum et Doctorum Ecclesiæ?*

MENSE OCTOBRI.

(Fit electio secretarii per scrutinium.)

Titius, sacerdos recens ordinatus, incepit confessiones audire et quum jam plurimæ ei occurrerint difficultates, sequentes proponit solvendas quæstiones :

1^o *Utrum conjuges licite copulari nequeant, nisi ex intentione prolem generandi?*

2^o *Utrum conjuges de mutuo consensu, sive perpetuo, sive ad tempus, ab actu conjugali abstinere possint?*

3^o *Utrum limitatio prolis causa sit rationabilis ab illo actu de mutuo consensu abstinendi?*

4^o *Utrum conjuges actum conjugalem eo præcise tempore exercere teneantur, quod prolis conceptioni aptius et convenientius est?*

Narretur breviter historia præcipuarum persecutionum quæ adversus Christianos exarserunt tribus primis Ecclesiæ sæculis.

